

instillo, quibus invicem confusis, prævio crepero
ebullitionis strepitu, & mirabili exæstuatione.
Sol instar limi procūbit in fundū, hoc facto & re-
percussio omni ex parte sole, aqua calida, eluo false
dines, donec nihil amplius acrimoniæ appareat.

Tum limum illum auri eximo & siccescere fa-
cio calore, vel levissimo, vel potius nullo, atque
ita habeo præcipitatum Ceraunochryson, uti vo-
cant Solis, Sclopetantē, fulminantem, ita dictam,
quod ejus grana duo vel tria, igni exposita, ubi
flammam conceperint, concipiunt autem prom-
ptissimè, similem bombardæ explosæ sonum fa-
ciant, operatione tamen pulveri pyrio contraria,
quum non uti hic sursum sed deorsum versus, im-
petum suum omnem convertant.

Vidi ego (S A L A) satis magnum marmor, vi
hujus calcis casu accensæ, in frustilla disjectum,
non sine astantium periculo.

Cæterum ad calcis modo dictæ partes duas,
conjungo Florum sulphuris purissimorū i. partē.
Hisce permixtis in crucibulo comburo sulphur,
atque ita calx illa, acquirat colorem boli Arme-
næ, & vim sclopetandi omnem amittet.

Hujus calcinationis, aqua chrysulca, alia ratio-
ne pro alio itidem fine à me paratur.

Accipe exempli gratia aquæ fortis uncias octo,
Salis armoniaci, & nitri depuratorum ana uncias
tres, misce & per cornutam, servatis ex arte ignis
gradibus distilla: Elicies aquam, quam ob igne-
am penetrabilitatem, & corrosivitatem stygiam
ego appello, de qua quia vulgaris illa, instituto
nostro apprimè satisfacit, pluribus hic agere su-
per vacaneum puto: nisi forte an hoc quis notare
velit,